



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Decima quarta Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

Decima quarta Augusti.  
De sancto Vuerenfrido confessore, in  
Elst.

Ex historia in Traiectensi bibliotheca descripta &  
fide incolarum.

**I**N vico qui dicitur *Elste*, natalis sancti **W**E-  
**R**ENFRIDI, presbyteri & confessoris. Qui  
cum B. Willibrordo venit Traiectum, & primum  
egregiè sparsum, verbum Dei prædicauit, sed po-  
tissimum apud *Medenblick*, & in Durenstadio;  
Postmodum verò dictus episcopus Willibrordus  
in medio insulæ *Batua*, quæ Rheni fluminis al-  
ueo circumcingitur, locum ei *Elste* commendauit.  
Sed & ecclesiam, in villa *Wester-voert*, gubernan-  
dam suscepit. Cumque populum his duobus in  
locis ad fidem conuertisset, infinitis clarificatus  
miraculis, tam in vita quàm in morte, apud præ-  
nominatum vicum *Wester-voert*, in pace quieuit,  
sed miraculosè in *Elst* est tumulatus; vbi de morbi  
articularis remedijs frequentatur, in sui nomi-  
nis collegiata ecclesia. Habet quoque in vsu Tra-  
iectensi festum duplex, in præiugilio assumptionis  
Deiparæ Virginis. Cernitur ibidem eius imago,  
ad ædes quas Canonicus inhabitasse fertur, nitidè  
depicta. *Wester-voert* est ex opposito Arnhemii ex-  
tra *Batua*. \* *Elste* autem in *Batua* ad mediam  
viam inter primas Geldriæ vbes, *Numagam*, siue  
*Neomagum* & *Arnhemum*. Quod *Carolus Mar-*  
*tellus* Willibrordo donauit. Legitur enim in pa-  
gina traditionis, *Carolus maior* domus, pro re-  
medio animæ suæ tradisse Willibrordo episcopo  
in pago

Videlicet in  
Geldria.

Apud He-  
rens.

in pago Batua villam iuris sui *Eliste* nuncupatam, quæ alio nomine *Marichaim* vocatur, & quicquid in ea Euerardus regi Childeberto infidelis possederat.

### Decima sexta Augusti.

1<sup>o</sup>. De sancto *Arnulpho Christophoro*,  
episcopo *Suessionum*.

*Ex Lisiardi libris, & Aldenburghensium instructione.*

**A**ldenburghi, depositio sancti ARNULPHI episcopi *Suessionum*, & confessoris. Hic patrem habuit *Fulbertum*, habitantem circa *Scaldem*, in villa *Tidinghem*; matrem verò ex nobili prosapia Comitum, *Louaniensium* videlicet, *Namurcensium*, *Losnensium*, & *Montensium*. Quæ per visionem didicit se puerum gestare, qui verbis & factis *Christum* ferret: ideoque *Christophorus* erat vocandus. Cæterum susceptor, *Arnulphus Aldenardensis*, voluit à se puerum *Arnulphum* dici. Mater autem memor diuinæ sponsonis, puerulum à patrino nuncupatum *Arnulphum* utroque nomine appellauit, *Arnulphum* videlicet *Christophorum*. Cumque in adulta ætate militiæ cingulum & insignia accepisset, multas *Brabantinas* ac *Flandrenses* lites sua prudentia sæpe diremit. Sed miles præpotens ac nominatus, quem tota sæculi gloria sequebatur, pertæsus secularis militiæ, migravit ad sancti *Medardi* ecclesiam, iuxta muros *Suessionicæ* ciuitatis; vbi clarebat monachus *Eremboldus Flander*, causa amoris *Dei* inclusus, duram agens pœnitentiam, diuinæ contemplationi perpetuò inhærens. Cui

Y 4

beatus